

Conrad Wilhelm Strecker

Facultatis Juridicæ P.T. Decanus, Conr. Wilhelmvs Strecker/ J Ctvs, Jvdicii Electoralis Provincialis Assessor, Professor Jvris Pvblicvs, Civitatis Syndicvs Et Causarvm Tvtelarivm Consvlens


Erfordia: Typis Joh. Christophori Heringii, Acad. Typogr., [1733?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1007510676>

Abstract: Einladung zur Verteidigung der juristischen Dissertation von Christian Friedrich Backhaus

Druck Freier  Zugang





N. N. - 2 (63.)

29, Reinhardi de restitutione in integrum quae fit brevi manu.
30, Berker an libere alienationem bonorum maternorum a pa-
tre factam revocare possit, si heredes patris facti

7

FACVLTATIS JVRIDICÆ
P. T.
DECANVS,
CONR. WILHELMVS
Strecker/ JCTVS,

JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS
ASSESSOR, PROFESSOR JVRIS PVBLICVS,
CIVITATIS SYNDICVS ET CAVSARVM
TVTELARIVM CONSVLENS.

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.



FX nullo sanè negotio plus subsidii pro-
mittere sibi potest Societas civilis, quam
si facta tecta fervetur contractuum fi-
des, hæc est fundamentum justitiæ ac
sanctissimum humani pectoris bonum.
Unicam propetere habuere curam li-
teratæ gentes, ut ne quid deesset suis
legibus, unde suum mutuari possent
robur contractus. Hinc pignora quæsitæ, hinc juramento
facta promissis fides, hinc potissimum innotescere cœpit fide-
jussionis nomen, in cujus laudem id attulisse sufficiet, quod
nulla fere inter barbaros gens sit, quæ non hujus instituti
longe pulcherrimi utilitatem agnoscat. Verum quidem est,
quod fidejussio cum summo quandoque rei familiaris detri-
mento sit conjuncta, attamen id potius debitoris vel perfidiæ
aut inopiæ, & sic casui fortuito, quàm vitio hujus contra-
ctûs est tribuendum. Abusus autem rei substantiam non tol-
lit, siquidem à mundo condito ea semper rerum humanarum
fuit vicissitudo, quod optima paulatim ad pravitatem fuerint
corrupta, atque sic opus non ex se, sed ex causa fit crimen,
quod facimus, non ex natura rerum, quibus utimur, sed ex
causa utendi aut modo appetendi probandum vel impro-
bandum est, sic fastus mulierum non est peccatum ex ipsis
rebus,

rebus, sed ex parte hominis & sic non usus rerum, sed libido est in culpa; ita & fidejussio sui natura vitium non incurrit, sed tum demum periculosa esse solet, si cum calore quodam animi & inconsultè suscipiatur, propterea patrifamilias vitio verti haud potest, si ad rem familiarem attentus, ab inconsulta fidejussione absteineat, ejusque laqueos cautè vitet & caveat. Illam vero fidejussionis formam, antiquatis Romanorum solemnibus, absolvit hodie sola conventio & solus consensus, de Wernherr. *Vol. 5. p. 7. O. 112. pag. 234.* Varias fidejussorum species Doctores constituunt, quarum Principalis, qua illos in simplices, succedaneos & indemnitate dividunt. Simples fidejussores dicuntur illi, qui simpliciter fidejudent pro debitore Principali & ipso jure perinde ac debitores Principales obligantur. *L. 23. C. de fidejuss.* veniuntque tanquam species famosior vocabulo fidejussionis simpliciter posito. *L. 2. 3. §. C. de fidejuss.* Succedaneus, qui & Surrogatus, Vicarius & Subalternus dicitur, constitui perhibetur, quando primus fidejussor alium rursus dat fidejussorem, qui pro primo & aliis fidejussoribus, quibus creditor non satis fidem habet, intercedit, ut eorum fidem quasi suffulciat. Non desunt quidem, qui ejusmodi fidejussores subalternos agnoscere nolunt, & illius sunt persuasionis, quod sicuti servitus servitutis, & fictio fictionis non datur, nec testes reprobatorii reprobatoriorum admittantur *C. 2. X. de testib.* nec reconventio reconventionis *Dd. in L. iurjurandum. §. ait prator. ff. de jurej.* nec officium officii, nec lucrum lucri Peregrinus *de jur. fisci lib. 6. tit. 7. n. 30. seqq.* nec superioritas superioritatis datur, *And. Knichen de territ. jur. C. 5. n. 70;* Pari modo fidejussorem fidejussoris non dari; sed explosa est ipsorum opinio *per L. græc. 2. §. fin. ff. de fidejuss.* ubi expressissime deciditur quod, quin pro fidejussore fidejussor accipi possit, nullum sit dubium, & quemadmodum pignus pignori, *tot. tit. C. si pign. pign. dat. sit.* Curator curator *L. 30. ff. de N. G.* Nominator nominatori *L. 2. C. de peric. nomin. lib. 11.* accedere potest; Ita & fidejussor fidejussoris reperitur. *L. 27. §. 1. ff. de fidejuss.*, quorum omnium rationem aptissimè explicat Claud. Cantian-

cula in paraphrasi *Instit. tit. de fidejuss.* Fidejussor autem indemnitate dicitur ille, qui se obligat ad id, quod creditor a debitore consequi & servare nequit, sive qui in subsidium promittit, quanto minus a debitore exigi potest. *L. fin. pr. ff. de R. C. L. 116. de V. O. Carpz. p. 1. decis. 14. n. 19.* vel qui in reliquum non exsolutæ summæ accedit *L. 45. §. 11. de jur. fisci*, atque hic etiam fidejussor subsidiarius appellatur *Besold. in thesaur. pract. voce. Schadlos; Bürg.* Confundunt nonnulli fidejussores indemnitate cum Succedaneis & pro iisdem accipiunt *Schneidewin ad §. 3. n. 6. l. de fidejuss.* *Treutler. Vol. 2. Disp. 28. th. 3. lit. E.* Verum illos differre recte statuunt *Besold. in thesaur. pract. voc. Rückbürgen.* & *Bachov. ad Treutl. d. l.* Illa siquidem differentia ex eo satis constat, quod indemnitate fidejussor & pro debitore Principali & pro aliis fidejussoribus se obligare possit; at Succedaneus tantum pro aliis fidejussoribus, hic etiam ab initio in solidum obligatur, ille verò in id tantum tenetur, quantum minus a debitore Creditor consequi potest. *Hering. de fidejussor. C. 4. n. 62.* Deinde Succedaneus, ne ante reum Principalem conveniatur, excussionis clypeo sese defendit, imo & contra primum fidejussorem, pro quo ipse fidem suam interposuit, illo beneficio uti posse communiter defenditur, sed beneficium divisionis inter Principalem fidejussorem & fidejussorem Succedaneum locum non habet, quia Principalis fidejussor, fidejussori suo subalterno sive succedaneo est loco Rei. Textus in hanc sententiam elegans est in *L. 27. §. fin. de fidejuss.* Ast enim vero quod concernit indemnitate fidejussorem, ille quidem etiam ante debitoris Principalis excussionem conveniri nequit, sed hoc potius est ex natura obligationis, quam ex singulari excussionis beneficio, hic enim ipso jure tutus est, & si de facto ante excussum debitorem principalem ad judicium vocetur, non utitur exceptione excussionis, sed generali allegatione: *tibi non competit actio*, agentem repellit ex eo potissimum capite, quia indemnitate fidejussor illa sub conditione tantam vinculatus, si à Reo exigi non poterit debitum, ea conditione pendente, ipse obligatus dici nequit, ac per consequens

quens contra ipsum ipso jure nulla actio competit *L. 116. ff. de V. O. L. 21. ff. de solut.* conditio enim suspendit ipsam obligationem & ex condicionali stipulatione, tantum spes est debitum iri *L. 213. ff. de V. S.* Hinc obligatio indemnitas sua natura hunc habet effectum, quod promittens non ante conveniri possit, quam is, cui promissio facta est, damnum senserit. Wehner *in Observ. pract. voc. Schadloß halten.* Adeoque Rei excussio præcedat necesse est, ut constet, quantum consequi ab eo possit Creditor, qui si totum receperit, fidejussor non liberatur, quia nondum fuit obligatus, cum conditio stipulationis defecerit. Si vero Creditor à Reo Principali omninò nihil aut partem debiti consecutus non fuerit, tunc demùm in totum vel deficientem debiti partem subsidiarius incipit obligari *d. l. 116. ff. de V. O.* Ex quibus consequitur, quod ante Principalis excussionem non teneatur fidejussor indemnitas, licet de promissis præstandis juramentum præstiterit, aut omni legum auxilio renunciaverit, siquidem nihil pure promisit, sed sub hac conditione: *Si reus non sit solvendo,* quam juramentum non tollit, sed illud secundum materiam substratam intelligitur & explicatur *L. 56. ff. de fidejuss.* Imò etiamsi hic fidejussor in specie renunciasset Excussionis beneficio, nihilominus tamen ante excussum principalem conveniri nequit. Nam renunciavit beneficio, quod ipse non habet, ac propterea naturam conditionalis suæ promissionis hoc ipso non immutavit, qui enim ipso jure obligatus non est, frustra exceptionibus contra actionem competentibus renunciat, nec adversario actionem alias non competentem tali renunciatione tribuit. Quæ omnia secus se habent in fidejussore Succedaneo, de quibus pluribusque differentiis occasione *L. grace. 8. §. 12. ff. de fidejuss.* publice ex cathedra acturus est

NOBILIS ET CLARISSIMVS
CANDIDATVS

DN. CHRISTIAN. FRIDERICVS
BACKHAVSSIVS,

Gollino - Soldinensis - Neomarchicus.

Natus is die 4. Mens. Aprilis Anno MDCC VIII. Patrem habuit, cum adhuc in vivis esset, Venerandum CASPARVM BACKHAVSIUM, Sacr. Reg. Majest. Boruss. Administratorem Præfecturæ Gollinensis, Matrem vero DOROTHEAM, DANIELIS BÜTTNERI, Pastoris locorum Gros-Möllen & Löst in Pomerania Superiori jacentium filiam. Ab adolescentia jamjam svasu Parentum supra denominatorum artibus liberalibus se dedit, sumtibusque illorum usque ad annum ætatis suæ decimum quartum completum privata Informatione THESENDORFFII, HELLII & RVCKHERMIOVM usus est; Post hæc vero Scholas, uti vocantur, publicas frequentavit, & primo adiit Landsbergam ad Wartham ibi commoratus per biennium, & cum sub fidelissima institutione Dn. Rectoris POLANI & Conrectoris BENICKENS quoad humana sua studiis ingens incrementum accessisset, animum direxit Halam, eoque missus non ita multo post & quidem die 8. Mensis Maji MDCCXXIV. in numerum Alumnorum, quod ibi floret incluti Orphanotrophei, sub Inspectione Dn. SCHINMEIERI & BRAVNII receptus est. Hoc in Orphanotropheo permansit tres annos, studiis elegantioribus & inter hæc etiam Græcis & Ebraicis sedulo operam navavit. Tandemque post triennium jussu parentum & superiorum imprimisque B. AVGVSTI HERMANNI FRANCKII, Theol. D. & Profess. Fridericianæ Publici ad Altiora tetendit, Scholasticisque subselliis in oratione Metri-Tevtonica de Abusu Typographiæ disceptata in presentia haud exiguorum Spectatorum valedixit. Post dies non multos hisce relictis petiit Fridericianam, ac die 29. Mensis Aprilis MDCCXXVII. sub
Auspi-


Auspiciis Potentissimi Reg. Borussiae FRIDERICI WILHELMI, & Pro-Rectore Academiae D. MICHAELE ALBERTI, S. Reg. Maj. Boruff. Aulico & Consistorii Magdeburgici Consiliario & Philos. Natur. Profess. Publico, illius Academiae celebratissimae particeps factus est privilegiorum. Animus ab initio hoc superato ei fuit Scholas Theologorum visitandi, quamobrem D. ANTONII, LANGII, MICHAELIS & RAMBACHII collegiis rarissime absuit, hoc successu ut etiam interdum sacras, ut ajunt, cathedras ascendisset. Ast anno adhuc academico primo consilia ante coepta, orbatu per mortem fatalem parente, mutavit, & ad Jus se applicavit, quae re Virorum haud exiguae celeberrimorum BÖHMERI, de LVDWIGS, GVNDLINGII, FLEISCHERI & KNORRII Collegia frequentavit. Posthac Lipsiam se contulit & in numerum civium academicorum sub Auspicio Sereniss. ac Potentissimi Regis Poloniae & Electoris Saxoniae FRIDERICI AVGVSTI, nec non Rectore JOHANNE SCHMIDIO, Theol. D. adscriptus est, audivit Dn. GRIBNERVM, RECHENBERGIVM, MÜLLERVM, FRANCKENSTEINIVM & ROTHERVM, dieque 12. Mensis Aprilis memorati anni à Senatu Lipsiensi, & Dn. GODOFREDO LANGEN, Comite tunc temporis Palatino, superato examine Notarius Publicus Caesareus creatus est, circa initium anni M DCC XXXI. discedebat Lipsiam Dresdam & posteaquam ibi felicissimos causarum Patronos, qui ipsi ad forensē praxin limina aperuere, accepit, habuitque; pro nunc ei mens est magno studio in foro versandi, perorandisque causis maxime incumbendi, hoc ut eo melius attingere possit, Academiam nostram adiit, & ab ea, ut ipsi in utroque Jure Licentiatuæ honores & privilegia conferrentur submisit. Huic honestae petitioni annuere non dubitavimus, quapropter ad rigorosum examen admissus, in eo textus ex utroque jure transmissos tam exactè interpretatus fuit, & ad quaestiones propositas ita respondit, ut unanimi consensu ad altiora admissus, nec minus ei data facultas sit, publica & solennia

nia edendi specimina, cursoriam, puta, lectionem *ad L. græce*
8. §. 12. ff. de fidejuss. & disputationem inauguralem


DE
INJVSTA JVDICIS IRA.

Quibus actibus solennibus die 23. Sept. a. c. expediendis, ut
Magnificus Universitatis Rector, cæterique Domini Pro-
ceres & Cives Academici interesse velint, officiose ac per-
humaniter invitantur. Publicatum sub Sigillo Facultatis Ju-
ridicæ die 20. Septembr. M DCC XXXIII.









rebus, sed ex parte hominis & sic non usus rerum, sed libido
 est in culpa; ita & fidejussio sui natura vitium non incurrit,
 sed tum demum periculosa esse solet, si cum calore quodam
 animi & inconsultè suscipiatur, propterea patrifamilias vi-
 tio verti haud potest, si ad rem familiarem attentus, ab incon-
 sulta fidejussione absteineat, ejusque laqueos cautè vitet & ca-
 veat. Illam vero fidejussionis formam, antiquatis Romano-
 rum solemnibus, absolvit hodie sola conventio & solus con-
 sensus, de Wernherr. *Vol. 5. p. 7. O. 112. pag. 234.* Varias fide-
 jussorum species Doctores constituunt, quarum Principalis,
 qua illos in simplices, succedaneos & indemnitis dividunt.
 Simples fidejussores dicuntur illi, qui simpliciter fidejudent
 pro debitore Principali & ipso jure perinde ac debitores Prin-
 cipales obligantur. *L. 23. C. de fidejuss.* veniuntque tanquam
 species famosior vocabulo fidejussionis simpliciter posito.
L. 2. 3. 5. C. de fidejuss. Succedaneus, qui & Surrogatus, Vi-
 carius & Subalternus dicitur, constitui perhibetur, quando
 primus fidejussor alium rursus dat fidejussorem, qui pro pri-
 mo & aliis fidejussoribus, quibus creditor non satis fidem ha-
 bet, intercedit, ut eorum fidem quasi suffulciat. Non de-
 sunt quidem, qui ejusmodi fidejussores subalternos agnoscere
 nolunt, & illius sunt persuasionis, quod sicuti servitus servi-
 tutis, & fictio fictionis non detur, nec testes reprobatorii re-
 probatoriorum admittantur *C. 2. X. de testib.* nec reconven-
 tio reconventionis *Dd. in L. iusjurandum. §. ait prator. ff. de*
jur. fisci lib. 6. tit. 7. n. 30. seqq. nec superioritas superioritatis
 detur, *And. Knichen de territ. jur. C. 5. n. 70;* Pari modo fide-
 jussorem fidejussoris non dari; sed explosa est ipsorum opi-
 nio *per L. græc. 3. §. fin. ff. de fidejuss.* ubi expressissime deciditur
 quod, quin pro fidejussore fidejussor accipi possit, nullum sit
 dubium, & quemadmodum pignus pignori, *tot. tit. C. si pign.*
pign. dat. sit. Curator curator *L. 30. ff. de N. G.* Nominator
 nominator *L. 2. C. de peric. nomin. lib. 11. accedere potest;* Ita
 & fidejussor fidejussoris reperitur. *L. 27. §. 1. ff. de fidejuss.*, quo-
 rum omnium rationem aptissime explicat *Claud. Cantian-*
 cula

) (2

